

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Auff Ihrer Königl. Majest. zu Dennemarck Norwegen,
e[t]c. e[t]c. Allergnädigsten Specialen Befehl, Revidirte
Oldenburgische Stadt-Schul Ordnung**

Adler, Jacob Nicolaus

Oldeoburg, 1703

VD18 13393405

Leges Docentium.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17761

LEGES DOCENTIUM.

§. I.

Doцентium munere in hoc nostro Lyceo functuri, ante omnia Christiana religione ac pietate imbuti sunt, & tales sese exhibeant, qui Deum O. M. pura, integra, incorrupta & mente & voce venerentur, discipulis suis faciem pietatis & religionis præferant, eosque veram pietatem sectari suo exemplo quotidie doceant.

§. II. Ideo vitam domi & foris eam instituunt, quæ sit ἀνεγκλητος, nec unquam nisi palliati in publicum prodeant.

§. III. Amorem, pacem et concordiam Collegæ omnes inter sese intemerate, sincere et constanter colunt, nec quavis levi de causa altercationes, rixas movent, aut simultates alunt.

§. IV. Nullus Collegarum inferiorum in iusta & legitima causa se Superioribus opponat, ordinem potius & gradus observet, iussa superiorum, præsertim si ad gloriam Dei & scholæ commodum sint directa, absque murmure, hilari fronte & prompto animo exequatur.

§. V. Si quæ forte, quod propitium Numen avertat, simulas aut liticula inter eos exoriantur, eam ad Rectorem deferunt, qui illam aut privatim inter partes litigantes aut adhibita aliorum Collegarum opera componit. Nullam ergo litem aut ad Scholæ Antistites aut ad
maxi-

maxime Reverendum Consistorium Reginm deferant , nisi quam Rector privata opera componere nequeat.

§. VI. Nullus sui Collegæ famam , quo loco , qua occasione quove prætextu id etiam fiat , Theonino dente rodant , de ipsius existimatione nil deterat , ipsiusque labores & informationem nec culpet neque extenuet : Salutaria potius & prospera quævis de se invicem & sentiant & loquantur , atque sic contemptum , indivulsum aliàs Præceptorum comitem , à se ipsis declinent.

§. VII. Abstinento præprimis domi & foris à cavillis & jurgiis omnibus ; à scurrilibus jocis , ineptisque facetiis ; ab alea & chartis lusoriis ; à commestatione & computationibus publicis in tabernis.

§. VIII. In emendandis discipulorum erroribus & moribus ad iram neferantur præcipites , nec discipulos suos nulla habita ratione & moderatione rapiant , tundant , aliisve indignis modis tractent. Liberali potius animadversione in eos animadvertant , & cum studia & artes liberales dicantur , liberaliter juvenum animos ad eas addiscendas excitent.

§. IX. Inhonestis appellitationibus honestas Discipulorum mentes ne lædunto,

§. X. Præscriptam lectionum publicarum methodum , strenue omnes Collegæ singulis diebus sequantur , eam nec intermittunto nec mutilant.

§. XI. Mature cum ante tum post meridiem
 G 3
 quilibet



quilibet suæ Classi adesto, pensum suum quotidianum tempestive aggreditor & diligenter cum Discipulis absolvito.

§. XII. A Schola sine Rectoris consensu nullus abesto, nec nisi finitis lectionibus ordinariis discedito.

§. XIII. Præceptores inter docendum perspicue loquuntur, & ad commodam pronuntiationem Discipulos mature assuefaciunt.

§. XIV. Recitationi lectionum attente auscultanto, negligentes observanto & poena afficiunt.

§. XV. Imprimis autem quatuor inferiorum Classium Præceptores curanto, ut Discipuli latinæ linguæ vocabula, cum genitivi nec non præteritorum & Supinorum pronuntiatione, vocabulario Cellariano expressa, diligenter memoriæ inscribant. Cum in omni lingua addiscenda præcipuum sit, rerum nosse principia.

§. XIV. Funera tam generalia quam specialia Rectori semper indicantur, Funerum specialissimorum cura Cantori commissa esto.

§. XVII. Ad funera hæc deducenda in publicum progressi, suam quisque Classem observato, & excepto Rectore & Con-Rectore è latere suæ Classis ito, confabulantium aut petulantium ineptias coerceto. Hoc ipsum quoque faciunt, quotiescunque sacris attendendum: Quum non sufficiat, si Præceptores solum attentis sint, nisi suos quisque etiam discipulos ad sedulo auscultandum adigat.

§. XVIII.



XVIII. Ad examina semestralia quam diligentissime
Discipulos suos quilibet præparato.

§. XIX. Nullus iter aliquod extra urbis & regionis
nostræ pomaeria suscipito, nisi prius Scholæ nostræ Antistiti
& Rectori id indicaverit causamque itineris modeste expo-
suerit.

§. XX. Facultas animadvertendi in petulantiam
discipulorum quatuor inferiorum classium omnibus Præcepto-
ribus sine discrimine conceditur: In Primanos vero
& Secundanos, sive reali sive verbali animadvertensione ad-
vertendum fuerit potestas solam penes Rectorem et Con-
Rectorem esto.

§. XXI. Si forte Collega quidam aut in morbum
inciderit aut iter necessarium susceperit, aut alia prægnante
de causa à Schola abfuerit, proximus ipsius Collega amicè ab eo
compellatus, labore sublevato, discipulos doceto et dextere in-
stituito, recogitatoque sese hunc laborem non homini, sed
commodo publico & Gloriæ Di-
vinæ debere.

FINIS.

